contagio illos inficiat, sed adsunt Praeceptores optimi, qui quasi manu ducant et moribus optimis animos discipulorum instruant atque imbuant. Hinc manifeste consequitur non pravos mores in academijs addisci, sed potius vt quidam aiunt in scholas afferri. Quid igitur obstat auditores humanissimi cur iuvenes non ad celebres aliquas academias in quibus omnia genera virtutum humanarum et divinarum studia florent mittantur? cum liberi si rem et publicum bonum aspicias, non tantum sint Parentum proprij, verum Civium quoque communes. Nati enim sunt ac suscepti vt suo tempore vtilem Christianae reipublicae ac salutarem operam praestent. Hinc enim et institutio illorum communis et publica esse debet, vt iam a teneris ingenium et indoles cuiuscunque cognosci quidnam de vnoquoque sit expectandum perspici queat. Quis porro nescit privatam institutionem fere semper esse molliorem? et ideo iuventuti obesse quam maxime! In scholis autem publicis omnes ijsdem legibus astringi, neque a quoquam contra eos quicquam impune committi. Friant ergo imo et conquerantur ~~hoc~~ illi hoc loco, quid eiusmodi leges praestant? nihil propemodum nihil conferant, enimvero tantum ad levitatem puerorum coercendam traditas et praescriptas esse et ab hominibus non ita eruditis scriptas asserunt. At abeant illi, cedant locum veritati; nam eas ipsas leges a sapientissimis viris constitutas esse quis negaverit! quae illos ad modestiam doctrinam prudentiam aliasque virtutes haud ignobiles